V. CL.

WILHELMI TEN RHYNE

Daventr.

Amplisſ. Soc. Indiæ Or. Medici, & a conſiliis Juſtitiæ

Schediasma

de

PROMONTORIO BONÆ SPEI;

ejusve tractus incolis

HOTTENTOTTIS.

accurante, brevèsqve notas addente

Henr. Screta S. a Zavorziz.

SCAFUSII.

Impenſis Joh. Mart. Meiſteri.

Typis Joh. Mart. Oſvaldi.

cIↄ Iↄc LXXXVI.


INCLUTO. ATQVE. INLUSTRI.
VIRO.
J. JAC. WEPFERO.
MEDICÆ. ARTIS.
ANTISTITI.
PLUR.
SEPTEMVIROR. DUCUM.
PRINCIPUM. COMITUM.
RERUMPUBLICAR.
A. SANITATE.
S. P. Q. SCAFUSIANI.
ARCHIATRO.
PIO. FELICI. SAPIENTI.
HAS. ERUDITAS. PAGELLAS.
EX. INDIA. ORIENT. ADVECTAS.
D. D. C. Q.
HENR. SCRETA SCHOTN. A ZAVORZIZ.
III. EIDUS NOVEMBREIS.
cIↄ Iↄc LXXXV.

QVum nuper, Te apud exteros viros principes commorante, dilectisſimus filius Tuus, haut infimæ notæ medicus, convolutas præſentis libelli chartas e Belgio a Gaſpare Sibelio à Goor, percelebrato Daventrienſium medico, misſas mecum amice communicaret; easdem, propter argumenti raritatem, litterarum mox prelo ſubjiciendas esſe cenſebam: qvod & reliqva auctoris hujus celeberrima ſcribta, cedro dignisſima, ab omnibus ſapientiæ ingenuis profesſoribus permagnæ æſtimari noverim. Impetrata igitur venia, nil prius mihi curæ fuit, qvam ut exemplum concreditum

ab

ab illabſis librariorum mendis repurgatum luci publicæ ſiſterem, illudqve nulli alii, qvam Tibi, Vir plurimum Venerande, cui qvoqve transmisſum erat, dedicarem: qvem meum conatum æqvi boniq; conſulas rogo. D. O. M. Te in longam ſenectam vegetum incolumemqve ſervet; qvo ſerus in cœlum redeas, qvi, ne innumeri mortalitatis ſenectutem immaturius exuant, auctor es.

Vale.





WILHELMI TEN RHYNE

Schediasma diarii; in qvo de *Saldanhaco sinu, Daxinsula*; & præcipue de

PROMONTORIO BONÆ SPEI,

hujusqve tractus Incolis *Hottentottis* appellatis, agitur.

Relatio adventus.

SExto Iduum Octobris, anni M DC LXXIII, sereno cœlo, nebuloso tamen, uti ad telluris limbum assolet; horizonte, flante circio (hoc est Z.Z.W.) cursuqve in tra-

ctum ex meridionali ac orientali medium inſtituto, maris profunditatem metientes, centum & viginti orgyiis fundum attingere impotes, hortante lætitia primo terram (monſtrante noſtro ὑπεμπόρῳ) ad triginta duos latitudinis gradus conſpeximus. Verum adverſo repulſi flatu, poſt varia conſilia & anhelam de refocillatione exſpectationem XIII°. demum ejusdem menſis in ſemilunarem exordio SINUM SALDANHA, aere tranqvillo, leviculè ſubludente vulturno (Z. O.) in arenoſum fundum jecimus ancoram: ubi peregrini litoris ſinum ex mapparum lineamentis cum αὐτοψίας fide penſitabamus, pictoris incuriam, vel relatoris inſcitiam protinus culpantes. Id enim ferme unicum cum mappis analogum habebat genuina ſituatio, qvod utrinqve eminenti exſta-

Saldanha Bacy.

rec

ret colle ostium. Cæterum *Insulæ* & numero (tot enim non aderant) & situ (qvatuor super nauticam pyxidem discrepante lineis) in chartis differebant, multiformibus ac coloribus freqventissimæ [α] *Laris*. Istic defessum itineris gravaminibus animum nova telluris amœnitate recreare impense satagens, primum *Africæ* vestigium impressi, *navarcho* pariter ac *mercatore* nostris; cum remigibus qvibusdam comitatus. Hic in orbem effusis collibus, & per immensum spargentibus oculos, cœlum montibus suspensa terra diversissima *plantarum* gratia prædivites *Semiramidis Alcinoive* hortos, aut *Elysios* in ipso deserto campos æmulari videbatur: ubi cumulatissimam earundem ilico conqvisivi sarcinam, ut viva exemplaria *botanosophis Musis* imposterum offerrem. Miratus

[α] alibi à me describtis.

præſertim ingentem *gummoſæ aloes* copiã, qvæ millena aliqvot *amarisſimi ſucci* pondera induſtrio qvotannis exprimere posſet. Tum ad valetudinariam & jam pene agonizantem navim revocabat veſpera *venatores*, petroſum maris tegentes in reditu litus, multivario *oſtracodermatôn* genere conſperſum. Inde fortuitis nos ſubducentes periculis (qvippe *Belgæ* octo *hippopotamorum* venationi inſudantes, miſerrime nuper ibidem ab *Hottentottis* confecti erant) ſubleſtam repetiimus acatio ratem; qva poſtridie, propitio extra ſinum argeſte (N. W.) ſolvimus; à meridie prænavigantes [β] *Daxinſulam*, paucis ſervatam excubiis, [γ] *marinorum cuniculorum* capturæ, *oviumqve* paſtioni ab *Illuſtrisſ. orientalium Indiarum ſocietate*, decore ac præſidio noſtro ſummo, deſignatis.

[β] Daſſen Eylant.
[γ] Robben.

Pridie

Pridie Iduum Octobris, sub noctem tranqvillus ad litora nos impellebat mesolibonatus (Z.T.W.) ad viginti tres profunditatis orgyias ancorâ fundantes.

Ipsis Octobris Idibus, svave spirante coro (N.W.) [δ] alteram, in aspectu longe sperati *bonæ spei promontorii*, prætervecti fuimus *insulam*, V. ab *arce*, a *Daxinsula* VIII. ac XV. circiter a *Saldanhaco sinu*, juxta mappas, milliaribus distantem, atqve excelso montis præcipitio (inibi enim tantulus sese exerit colliculus) non exaltatam, *exulum* concremandæ pro novo *fortalitio* calci *conchylia* comportantium carcerem. Hic fertiles degunt *chamæleontes*, Indicis minores, ac omnis generis *insecta*, *reptiliaqve animalcula*; ita pugno magnitudine sua æqviparandæ aluntur ibidem præter varios *serpentes* [ε] *aranea venenata* &c.

[δ] Robben Eylant.

[ε] qvas describit Charles de Rochefort, in syn historie van de voorey-landen van America,

[ζ] de Tafel-baey.

Pomeridiana qvarta [ζ] Menſalis ſinus nos excepit multiplici funere deformes, ac altera die poſt *gubernatoris*, viri ſine pari, menſa; qvam dum ad tubæ ſonitum petim⁹, [η] *fuci marini* permagna ſpecies (vix enim tota unicam plantam vexiſſe poſſet noſtra minor cymba) noſtram liburnam ad arenoſam *Africæ* actam impediebat. Cæterum *Caput bonæ ſpei*, appropinqvantibus repentini eventus index, ſicuti & ſubalbidæ, puſillæqve ſunt, *gaviæ*. Placebat rerum novitate tractus, eo attentiorem perveſtigationis induſtriam ſuſcitans, qvod [θ] ſiorum [ι] *incolarum* res *auctoribus* etiamnum incogni-

[η] Drombaſſen vulgo.

[θ] Videatur Hornii orbis politicus.

[ι] Imo maximæ partis Africæ, de cujus extenſione &c. hæſitanter admodum veteres. Reſp. Ariſtot. lib. de mundo, c. 9. & Apul. lib. de mundo, Adeo exigua & manca ſunt, qvæ de Africa, qvam illi Lybiam dixerunt, ſcivere iidem.

cognitæ ſint. Ferunt enim (& nihil amplius) qvendam *Imperatorem* a *Montibus lunæ* ad *caput B.S.* ſeu extrema *Africæ* in qvatuor regna diſtributum *Monomotapæ* dictum, imperiũ protendisſe.

Heic non ab ovo hiſtoriam exordiar, intra *diarii* limites commoraturus: nam num hæ *gentes* a *Chamo, Noachi* filio (præter *Arabes* nonnullos ſtirpis *Sem*, *Africam* poſtmodum ingreſſos) originem duxerint? An vero *Barbaræ* in *Africa gentes* multa ſobole increverint, qvod in occulto ſolo frugales vixerint, & hinccine terræ infelicitas numeroſa populo alimenta negarit, ut ſæpe novas ſedes qvæſituram juventutem dimiſerint, atqve inde forſan incogniti hi in extremis *Africæ* oris profluxerint? tanti non intereſt ſcire; modo eorum mores cognoſcamus & commercia. Sed in anteceſ-

ſum tantisper perſpiciamus *loci* indolem & ſitum.

CAP. I.

De ſitu Promontorii bonæ ſpei.

PRomontorium bonæ ſpei appellatum, qva longitudinem (qvæ hic novem & triginta gradibus, ac viginti qvinqve ſcrupulis abſolvitur) a *freto Gaditano*, qva latitudinem (qvam triginta qvatuor gradibus trigintaqve minutis metiuntur) [x] a *Promontorio Hſperio* & *Guardafû* ultima *Africæ* portio eſt. Anno 1498. a *Vaſco di Gama* tutela *Johannis, Portugalliæ Regis*, detecta, Olympipetis excelſa montibus, infœcunditate hominibus valde infeſtis. Infelices etenim hæ gentes proventibus, & malignis illuſtratæ ſideribus; terræ ſterilitas arenis, merisqve eremis

[x] Luſitanis & noſtratibus nautis Cabo verde.

mis informis ac vasta, crudo horret aere, nulla vegetabilium bonitate gaudens, & magis amica *sentibus tribulis*qve, atqve asperis *paliuris*, nisi longa culturæ sedulitate, pastui facilis reddatur, perpauci tum ferax frumenti. Cætera vastissimos & petrosos montes habet, raras planities. Hinc memorabilis qvidam locus est trium circiter milliarium circulo extensus in æqvor; cui ob cruentam illic olim habitam pugnam hoc nomen. [λ] *De Bachaley plaets*. Alter ab illo nostratibus dicitur *De Buffels-jacht*, in accesso eminens monte, ultra qvem planane an montosa sit regio? etiamnum ignoratur. Verum qvis omnium alta montium, flexa collium, ac porrecta camporum emetiatur? Fortalitio propinqvorum excelsissimus a [μ] *mensa* vocatus *mons* est, nomine a

[λ] Corruptus Maylayicismus est, idem qvod dimicationis locus.

[μ] De Tafel-berg.

plano cacumine deducto, qvi ex altitudine ſua hunc petentibus portum *Pharus* eſt. Ejus veſtigium qvinqve leucis a fundamine diſtare perhibetur: ad illud ſaltem arduo valde aſcenſu ſudans perveni, præter *variarum plantarum* myriadas, paludoſum *palmitidum* (qvarum elegantisſimæ reticulatæ radices ſunt) lucum ad montis, per medium bifidi, pedem pertranſiens, denſæqve ac horrendorum vociferanti *arctopithecorum* cohorti, multisqve in veſpertino reditu occurſans *meteoris*: qvaqvavorſum enim in aere tripudiabant *ſcintillæ*, qvarum primus intuitus ſocios, has flammantia audacisſimi hic leonis lumina ominantes, terrebat; donec me manu illas prenſare volentem fugerent, poſtea edoctum *meteora* illa limoſo fui ſucco (micante

in obſcuro) a [ν] bolidibus non differre. Alter olim loco nomen impertiens a nativa effigie, non vero a [ξ] ſævientium ventorum rugitu [ο] *Leonis mons* appellatur: ad cujus, ſupra dictum, caput duo ſemper in ſtatione ſunt excubitores, navium adventum præmonentes.

Præruptos atque nivales, qveis tota hæc regio obvallatur, montes flumina, ut umbra corpus, ſeqvuntur. Præcipua ſunt 1. [π] *Butyroſum*. 2. [ϱ] *Obſcænum*. 3. [σ] *Montanum*, qvod reliqvis manifeſtius e montibus ſcaturiat. 4. [τ] Απελεύπετον, ſeu *ſine fine flumen*, ex montibus ortum, hactenus, qvousqve ſe extendat, ignotum. 5. [υ] *Latum*, ex adſitarum arbo-

[ν] Sternſchot; ſic cujusdam ex notis meis calceis ſeſe adfricuerat dictam bolidis referens indolem.

[ξ] Ut vult Mercator in Ptolom. de Africa, qvam ab hac parte ita procelloſam ſtatuit, ut navigantes hoc, nõ niſi neceſſitate coacti, appellant Promontoriũ; accommod⁹ noſtris refocillationis locus, congruumq; diverticulum, ingentibus nihilominus expoſitum flatibus. [ο] De Leeuwenberg. [π] De Boter-Rivier. [ϱ] Kafferkuls rivier. [σ] Berg rivier. [τ] Rivier ſonder eynde. [υ] Bree-rivier.

rum ordine amœnisſimum, minime profundum, 6. [φ] *Paludoſum.* Hi, qvibus abunde irrigatur ille tractus, fluvii dulci & percocto latice ſuo pleriqve ſaltem ſaluberrimi ſunt.

[φ] Moeras-rivier,

XVI. Kalendarum Novembris ſpatioſisſimum [χ] Amplisſ. Societatis *Hortum* novam adventantibus navigiis annonam copioſisſime ſuppeditantem, nec non *limoniorum, citriorum, arantiorumqve malorum* viridariis, denſis *Rorismarini* ſepimentis, & ſvaveolentis *laureti* apricitatibus (proceram ſua altitudine exæqvantibus arborē) lætū, rivuloq; e radice montis orto, ac jucundisſima ubertate in eum exudante diviſum, hoc eſt, ipſam inter medios *paliuros* ſterilesque *dumos* viriditatem, viſi. Inde oculos in contiguos diffundens montes, euronoti (venti Z. O.) originem evidenter eminus licet

[χ] De E. Compagn. Thuyn.

cet

cet ſpectabam : cum enim propinqvorum juga montium alta, ſenſimqve declinante veſtiuntur nube, adſunt procelloſi præludio vulturni (pro nubis raritate vel ſpisſitudine, magnitudine vel parvitate, deniqve aſcenſu deſcenſuve, vel magis minusve impetuoſi) qvem ſæpius ad oculum de *menſali* decidere *monte* vidi. Hunc magno plerumqve turbine, & fere ſemper ſpirantem, ac ſi *Æolus* huic regno imperitaret, conſpexi. Attamen licet aſtra certis itineribus ſemper teneant curſum, non eosdem aeri motus infundunt. Ita hic alius terris, nec ſibi undiqve ſimilis, alius eodem momento aqvis, bivariam, imo trivariam in hoc ſinu diviſus, atqve etiamnum extra eundem aliorſum ductus; dominatur ventus; idque diverſus montium reſpectus efficit. Nam etiamſi admodum

dum tranqvillus alibi ſit aer, *Mons* tamen Menſali maxime continuus; ſemper eructat flamen [ψ] *Diabolicus* inde dictus. Qvodcirca ſi locorũ ſitus ad experientiæ lumen accuratius examinaretur, forſitan non ita incertis vagaretur finibus navigatio; ubi incertitudinis ignorantiam abditis imputant æſtibus undarumqve presſuris artifices. Aſt unde ſecus [ω] ſtati dependent venti, niſi ab altis & nivalibus montibus? tempore quo nives ſolvuntur, præſertim ſpirantes. Verum ubi perpetua, vel ſemel qvotannis inverſa ventorum ſtatio eſt, ſolus montium reſpectus, ſolisqve curſus annuus id præſtent opus eſt. Cæterum & a magnis paludibus, ſaltem ab amplisſimis vaporum promtuariis, hæ mutationes procedere posſunt.

[ψ] Duyvelsberg.

[ω] Pasſaetwinden.

Idcirco regionum ſitus ac natura

tura, æqve ac maris æstus a *Navarchis* cognosci deberet; veluti in Gallico litore, inter *S. Malo* urbem & *insulam Wigth*, qvas inter periculosa *Pilà in Normandia* (qvæ *C. de la Hágne* dicitur in Mappis.) exstat, expertus sum. Sed difficultatum plenissima hæc inqvisitio, a propinqvis non modo, sed etiam a longinqvis locis, sæpe a solis ascensu descensuve & recessu intensio & remissio, ab anni tempore inversio stati venti derivanda est. Ast magis in occulto latet perennium ventorũ caussa, & certe ipsus haud interpretetur Oedipus, ex qvali montium ad planities relatione dependeat eu-tonoti (Z. O.) per plerasqve orbis partes vulgatissimi, & hujus *Promontorii B. S.* possessoris, perpetuum spiramen.

Si hæc similiaqve experiundi opportunitas *Renato philosophorum*

rum Coryphæo fuisſet, hic ſolam lunam non invocasſet tutelarem ſuæ ſententiæ Deam. Qvippe generalibus obligari ſe negat natura legibus; ubi expertæ inductionis artificio opus eſt. Ita fluxus & refluxus maris non ubiqve ad [α] *des Cartes* ſe flectit hypotheſes: alius enim in *mari Liguſtico, Tyrrheno* & *Baltico*; vehementisſimus in *Golfo de Jaqveta*; hinc in *nova Francia Le pasſage courent*; & in *Mexicano ſinu Canalis Bahame.* Plures de vi magnetica eidem imputari posſent hallucinationes. Sed ne extra pomœria! Cæterum circumjacentia exactius perſpicerem loca, flumina, montes. Sic qvinqve extra *fortalitium* leucis [β] *ſalipromus* extat *ſinus*, cibarii fertilisſimus *ſalis*, qvi fosſilis, ideoqve potius *gemmæ*; qvam *maris, ſal* dicendus: inconciſam ſervat figuram; fruſtula plerumqve

[α] Princip. Philoſ. part. 4. §. 49. &c. Iſaac. Vosſius de motu marium & ventorum; cujus παραδοξίῃ pleriqve nautarum ſe opponunt, qvi primus illis Sacterôs eſt.

[β] De Sout baey.

qve magna, sed in tenuissimum facile terenda pulverem. In ipsa albicat matrice, qvamvis & niger reperiatur; ast cum ingenti adurit æstu canicula, sponte prorumpit facie micante albida, nostratium *commune sal* acrimonia tantisper antecellens, congruumqve ciborum condimentum. Num qvod, si qvis in Africa (ut [γ] *Aristotelis* tempore jam compertum) prope mare infoderit, aqvam principio dulcem, post brevi salsam inveniet?

[γ] Lib. Problem. Sect. 23. probl. 21.

CAP. II.

De Brutis.

Montosa hæc solitudo *feris brutis*, qvam *hominibus* aptior habitatio est: hic enim nocentissimi armentis *leones, elephantes, rhinocerotes*, [δ] *tigrides* seu potius *panthera*, *lupi, alces*,

[δ] Premit advena dentes tigris, ut bibat humanum populo lugente cruorem. Petron. Satyr.

alces, [ε] *hippopotami*, *agrestes equi*, *bubali*, *apri*, *orestitrophi*, *napes*, *arctopitheci*, *histrices*, *echini*, *putorii*. *lynces*, *cervi*, *daxi*, *meles*, *lutræ*, *lepores*, & pulcerrimi coloris *onagri*, ac si nigro corio albas ordine inseruisset *strias* pellio: *capræ*, *rupicapræ*, *ibices*, cum maculosi tum cinerei: *hirci rupisultores*, *feles silvatici*, tigriformes atqve cani; *vulpiumq́.* qvædam species, qvam Belgæ *zachhalse* dicunt; rariores [ζ] *Tamandua-Guacu*, a *Brasiliensibus* sola magnitudine diversæ. Ingentem sane beluarum copiam illic hospitari necesse est; cum millena aliqvot brevi temporis intercapedine captorum, præsertim *hippopotamorum*, *alcium*, *ibicum*, consimiliumq; pondera, a paucis venatoribus *Gubernatori* producta sint. Unde patet, qvam graviter lapsus sit [η] *Aristoteles*, ubi

[ε] Prodigiosæ magnitudinis beluæ, a me non semel conspectæ, qvas sæpe cum vitæ periculo venatum eunt nostrates: videatur Plin. lib. 8. cap. 25 & c. 26.

[ζ] Qvas Marcgravius describit sub nomine Mienen detders Hist. qvadrup. lib. suo 6. cap. 4.

[η] de hist. anim. lib. 8. cap. 28.

ubi in *Africa* (ubi *equi* [θ] *non deest belua dente ad mortes pretiosa suas*) non *aprum*, non *cervum*, non *capram silvestrem* inveniri tradit.

[θ] Petron. in satyr.

CAP. III.
De Avibus.

INter aves freqventes satis, & diversi colores, [ι] *struthiocameli, pavones, grues, ciconiæ nigræ, ardeæ, anseres, onocrotali, anates, penelopes, qverqvedulæ, glauciæ, mergi, urinatrices*, [κ] *fulicæ, boscades, pengvini, perdices*, rubicantes & cinerei *phasiani, vanelli, ficedulæ, gallinagines minores, ululæ, cepphorum* myriades, [λ] *apodes*, ac variæ tincturæ *hirundines*, [μ] *colibry-*

[ι] Huc transferatur locus Esai. cap. 13. v. 21.

[κ] vid. Charles de Rochefort lib. cit. p.m. 133.

[λ] Non apodes, licet Plin. lib. 10. c. 39. hoc nomen illis indiderit, & sine pedibus descripserit; uti veteres paradisi dictas aves apodas putare perperã. [μ] Alibi à me descriptæ vid. idem Rochefort p.m. 141. Qvo & referri poterit Brasiliensiũ Guaimumbi, qvam Marcgravius, bloemenspecht interpretatur, cuj⁹ ille novem recenset species, ego ex repertis tantum tres alibi descripsi.

librydes, ſeu *verticillatæ* cujusdam *plantæ* ſuctores, & *pelicani* qvædam ſpecies, qvam *Galli* [v] *les Flammants*, noſtrates a Luſitanis id docti *Flaminken*, variegatis & rectis plumis.

[v] vid. eundem p. m. 133.

CAP. IV.

De Piſcibus.

Hic quoqve mare fluviiqve ſuas dant feras, *leones, cuniculosq́. marinos*, *gvapervas Braſilienſium*, [ξ] *balænas*, levesq; *galeos, thynnos* (menſæ decus) *ſalmones, rajas, mugiles*, *muſculos, auratas, decumanas, angvillas*, binasqve e genere *cyprini* ſpecies, *Incolæ* nuncupant *Hottentots vis*, hi qvippe illis delectantur, cum ſqvammoſi, ſaxatiles grataeqve carnis ſint; altera permagna menſarum dapes eſt, *ſteenbraeſem* vocitata: Tum *Caniculæ* ſpeciem, qvam *Luſitani* [o] *Casſaon* appellant:

[ξ] Balenæ qvædam ſpecies hic freqvens Belgice wont-kapers & vinvisſen.

[o] vide Marcgrav. lib. 4. c. 12.

pellant: *ostreas, cammaros, cancros*, verasqve *torpedines, turbines, sepia* & viriformes *conchas*, qvas inter *Pareo* dictus *natator Plinio nautilus* est. Sed ire per omnes vetat propositi compendium; unum tamen addam in epilogum. Cum oram curvi molliter litoris leni unda tusam legerem, in ejectaneos sciscitaturus maris fœtus, qvædam *animalcula*, scopulis firmissime adhærentia inveni, *multipeda* vitalium fibrarum exsertione rosas eminentia, unde Belgicum vulgus *Kliproosen* vocat.

CAP. V.

De insectis & venenosis Animalibus.

NOn horum, nec insectorum hic ullus esset finis; publica sunt variformes *canthari-des, papiliones, mordellæ*, [ϖ] *cicindelæ*,

[ϖ] De qvibus dictus Rochefort p. m. 123.

delæ, variæqve ſcheſeos *locuſtæ*, plurimi *curculiones*, & diverſi colores *millepedæ* [*ρ*] *araneæ*, pugno magnitudine æqviparandæ, ac variæ *formicæ*, qvæ grandibus pabuli acervis (qvos parcisſime ad novam arcem exſtruendam calce posſe ſubſtitui autumabat a *Fiſco Dominus*: illos ego divulſos multis *formicarum* myriadibus ſuffertos detexi) in vicinis montibus ſe ipſas inhumant.

[*ρ*] His analogam dat figuram Rochef. p. m. 129.

Communia ex venenatis ſunt *ſerpentes*, effigie, magnitudine, & loco diſcrepantes, *viperæ* duplo qvam in Gallia repperi, majores; *ſalamandræ*, *ſcorpiones*, *ſcolopendræ*, *lacerti*, *bufones*; de qvorum origine cum *Gubernatore*, viro ab experientia incomparabili, disſerens; mirabar eorundem illic loci imaginem; cum patriis triplo majores prælongis a tergo pedibus, attarum inſtar, terram potius verrerent.

Hoc-

Hoccine miraris, regerebat *Ille*, protinus adferri jubens de *Holothuriorum* genere *pisces bufoniformes*, extra ventrem gestantes pedes. En! hi nostratium bufonum conceptacula sunt; veluti ipsemet postea observavi, ex hoc nempe pisce bufonem propigni: tum etiam talem exenterans coram *Gubernatore piscem*, singula ferme intestina, præsertim pulmones, qvibus large instruebantur, uti in *bufonibus, ranis*ve consimilia reperi.

Pisces pedestres.

Cætera animatorum genera vel visum non subiere meum, vel visa tantillo tempore, qvo illic morabar profecare non potis fui singula, hic in *Stagiriticam* proclivis sententiam; [σ] In *Asia* nempe efferatiores, in *Europa* fortiores, in *Africa* multiformiores bestias provenire: Unde natum proverbium: [τ] *Africam* semper aliqvid novi proferre.

[σ] loco supra citato.

[τ] Aristot. dicto loco & lib. de generat. anim. lib. 2. cap. 7.

Cum aqvarum indigentia beluas, levandæ ſitis gratia convenientes, illic convocet, ut promiſcua venere coeant. Quod in defertisſimis forte verum eſt locis; ſecus indefinita *Africam* perfluunt flumina.

CAP. VI.

De Plantis.

VErum Botanicum me mage cepit ſtudium, qvippe hoc ſterile etiamſi ſolum, omnigenis ſcatet *plantis*, qvibus peculiarem deſcribtionis locum dicavi. Sive enim litori qvis inambulet, ludentem faventemq; vegetabilibus naturam, ubi ego herbæ *kali* (de cujus *ſale* tantum veteres, plus tamen ſtrepunt novaturientes) æſtimabam copiam. Sive per plana vagetur, immenſam earundem varietatem, præſertim elegantium *ericarum*,

multi-

multiformium *ſedorum*, luxuriantium *Ornithogalorum*, *narcisſorumq́;* (qvorum bulbi humanum etjam caput magnitudine exæqvant, jam dudum ad curioſos in *Hollandiam* misſi) *geranij* noctu odori &c. ſvaveolentiam. Sive per montes currat, arborum (qvas inter ſpecies qvædam omnes alias frequentia antecedit; ejus lignum præ duritie *Belgis yſerhout*, usqve huc Vulcano ſoli dicatum) fruticumq; ſilvas, & in collibus frugiferam *aloem* probandamqve *ſcammoneam*, uberrime offendet; & in hortis [v] *ſolanum Indicum*, qvandamq; [φ] *Melonum* ſpeciem, mirandam ex longo itinere adventantibus diuretica ſua virtute refocillationem conciliantium. Tum transvectam *torrida zona Muſam* (*Piran Malay*, *Arabes Amuſas* vocant) de qvibus expertorum fide conſtat, *Illas*, uti & *Cocos*, tan-

[v] Spaens Speck of Ritſies.

[φ] Noſtrates perperam waterlimoenen: Hos delineat Rochef. p. m. 104.

tum intra, nunqvam extra *tropicos* efflorefcere; atqve loca æqvinoctiali lineæ propinqviora & plures & majores horum fructus, juxta declinationem ab Æqvatore per gradus gradatim qvoqve numero & magnitudine decrefcere, & tandem evanefcere; fic raram & fine frugibus *Muſam* ad *Caput B. S.* reperi; & in *Bengala* extra *tropicos, mala* ac *pyra Hollandica, Cocci* vel *Muſæ* nulli: verum *Muſqvetti*, in eodem *Bengalæ regno*, & in *Perſia* a *tropici* initio fructus hi, fed fine fucco nafcuntur, in appropinqvatione ad lineam, fucculentiores,grandioresqve. Verum

Vires plantarum. afpera & inculta regio arboribus, alibi mollefcentibus, dum infpirat indolem; fubtiliorqve qvam patrius eft, aër intenfiores vires.

CAP.

CAP. VII.

De Anni Temporibus.

Hic horrida non valde sævit bruma, nec toties increpant grandines, neve glacie congelantur flumina, maximum pruina conferente frigus: Hic enim non in qvatuor, sed in duas, veluti in *India* vestra, periodos dividitur annus. Hiemem pluvia facit, æstatem siccitas, utraque furentibus concitata ventis. Ita ut cum in patria *Sirius* æstuat, riget hic nimbosus *Orion*. Cum enim in patria appropinqvat *æqvatori* sol; hic inverso cursu ab eodem recedit. Tum si unus eligatur ex *Hollandia* locus *Amstelædamum* V.G. hoc *bonæ spei Promontorium* 17 gradibus & 51 minutis, qva latitudinem præponitur; postponitur vero 11 gradibus & 30 scrupulis,

si longitudinem spectas: Octobri enim mense (qvi hic æstatis initium efficit) cum in patria arborum raduntur comæ, vegetantia hic primum pullulascebant.

CAP. VIII.

De hujus Eparchiæ Incolis Hottentottis.

Nomen.

Divisio in nationes.

NOmen est in varias nationes divisis;

1 Quarum princeps illa, qvam *Esseqvaes* faciunt. Natio, cum ex multitudine tum corporis proceritate (semigigantes enim putaveris) & robore fortissima; ideoqve a suis nunqvam impune lacessita. Si enim *Namacqvas* &c. duas tresve pecudes abstulerint, ilico in eos bello sæviunt, penitiora cogniti a nostratibus tractus ad CL. & paullo plus milliarium distantiam incolen-

cclentes, ad insolitum nostrorum armorum expaventes visum; aliâs cum illis, qvi consvetam ad *Caput B. S.* sedem tenent, moribus convenientes. Qvorsum una qvotannis vice jussu *Gubernatoris*, ex *tabaco, araco*, & *æneis torqvibus*, qvibus illi ex diutina exspectatione impensius inhiant, mercimonia, commutando lucroso pecori, transferuntur.

2 Alteram *Namacqvaes* constituunt, hunc sibi peculiarem in vestitu servantes ritum: qvod ubi alii vulpino, caprinove corio, hi ex elephantino dente contextis canistellis pudenda tegant, vix penetrabilibus aliis tutiores in bello scutis.

3 Hos seqvuntur *Sousvas*, ejusdem cum nostris Hottentottis ingenii & indolis.

4 Hinc *Sonqvas*, qvibus sontica de caussa a nostratibus erep-

tæ

tæ ſunt pecudes, ut ſilvis degentes alimoniam ex deſertis, ferarum præſertim venatione petere coguntur.

5 His affines ſunt *Gregoriqvas.*

6 Inimicum agmen claudunt *Honnimas*, qvibuscum noſtrates ob dira municipum homicidia bella gerunt. Qvorum *præfectus ſupremus*, *Honnima* dictus, claudus etiamſi ſenex, ſtrenuus tamen miles eſt.

7 Illi vero, qvi inter noſtros ſecuri arcem freqventant, auxiliares in terreſtri bello copias componunt. Eorum præfectus generalis *Claes* appellatur, & ab illo ſecundus *Capteyn Cuyper*, egregii uterqve & vafri milites, non ſemel à me viſi, mera cum nudipeda plebe mendicabula: ſic huic, ſex ſtipatoribus comitato, emendicatum *tabaci* fruſtulum pluries dedi, Gallice tantillum cum eodem locutus.

CAP. IX.

De Connexione cum aliis.

QVinam vero *Hottentottis* contermini ſint populi, necdum ita planum eſt; auriti plures qvam oculati teſtes ſunt, qvi de [χ] *Nigritis* musſitant. Sic aliis perſvaſum vult decurio qvidam noſtras; ſe ab ultimis (ad qvorum émisſus erat fines, ſextuplici conſortio ſtipatus) *Hottentottòrum* nepotibus, a cæteris vita & moribus plane diſcrepantibus, & nondum ſpeciali nomine notis præcepisſe; inter ſe & *Nigritas* ſpatioſum qvoddam interjacere flumen, qvod cymbis ex arborum cavamine fabrefactis, permutandis mercibus trajicerent. Cæterum *Hottentottis* [ψ] inter ſe nulli fines.

[χ] Vulgo Kaffers.

[ψ] Ut de Scythis, qvos hodie Turcas appellamus. Juſt. lib. 2. hiſtor.

CAP.

CAP. X.

De Corporis habitu.

Vti univerſo hominum generi, præter patriæ indolem, proprius qvidam connaſcitur inſtinctus; ita non minori miraculo per tot ſecula & tot populorum nomina, unicuiqve hominum ſua, & ab aliis deflexa, lineamenta *natura* invenit, qvæ tam vultus, qvam animi indices, ineffabilem inter mortales differentiam efficiunt. Sic *Hottentottorum* pleriq; qvaſi ſole aduſti fuſca undiqve cute inumbrantur, ſangvine ſicco calidoqve communiter præditi; nonnullorum tamen ſubcandicans vultus a patria ferrugine recedit. Qvamvis nigerrimi illis pulcerrimi; ac dum verſicolores terras vel capillis inſpergunt, vel adipe mixtas facies illinunt, ſe-

met

met cosmeticæ maximopere indulgere censent; Invenitur enim in hac regione colores promens mons, laboriosa sedulitate forte lucrosus. Omnes qvos mihi saltem videre contigit, gracili ac elaborato corpore, congruenter concisis artuum lacertis, simo (qvalis *Africanorum* ac *Asiaticorum* plerisqve conatus est) naso, depressa fronte, chilones, crispo, lanuginoso, & in [ω] varias deraso formas capillo, nudi incedunt, tectis tantum levi corio præcordiis. Feminas a maribus deformitate distingvas; Illæ hoc sibi a cæteris gentibus peculiare habent, qvod pleræq; earum dactyliformes, semper geminas, e pudendis propendentes appendiculas, productas scilicet *Nymphas* (ut raro in nostratibus exemplo prolongata conspicitur *clitoris*) gestent, qvas tuguriola (illi suo idiomate

vide infra.

krallen vocant, mulieribus fortuito referta) intrantibus magna cum geſticulatione, coriaceum elevando ſupparum, videndas præbent. Sic ſtrangulatam nuper proſecavit amicus *chirurgus virginem Hottentotticam*, in qva digitalia hæc *Nympharum* tubercula, e verendis procidua, duas in una mammilla papillas, variosqve in [ω]pancreate calculos obſervârat. Imo vero, adjiciebat probatisſimæ fidei *Gubernator: Et ego calculum ex medietate virilis teſticuli exſectum, propter adamantinam pelluciditatem annulo inſertum posſedi; aſt eum ſuperſtitioſo & ingentem de eo amuleti vim ventilanti, Nigritarum Regi donavi.* Id vero cum *Nigritica, Æthiopica* &c. gente commune habent; qvod ubi hi oleo, illi pecorum adipe corpora, ſed præſertim verticem, illinant, cineribus ex concrematis herbis (qvos

[ω] Sic tandem omnem dubitationis aleam evaderet dictamen hoc; posſe etiam in omnibus corporis partibus calculos produci.

(qvos *Bouchou* vernacule appellant) in eundẽ conſperſis: qvod officium uxores maritis præſtant. Aurium lobos transverſim lateqve ſecant, aperturam bacillo, vel *tabacifuma* fiſtula, vel qvod illis ſolennius, *corallinis* inauribus pandunt.

CAP. XI.

De Veſtimentis.

LAnæ [α] iis uſus ac veſtium ignotus, qvanqvam ingenti frigore ſæpe urantur; pellibus tamen ferinis (*bovinis ovillisq́;*) utuntur. Coriaceæ ergo primatum æqve ac plebejorum maſculæ veſtes unico conſtant, ex *bovino ovillove* corio, *colobio* (ipſis *Karos* dicto: qvod & *lectuli*, & *arculæ* & omnis fere ſuppellectilis vices ſupplet; eoqve imbrium hiemisqve causſa teguntur) ita tamen ut illi qvandoqve

[α] Juſt. de Scythis ibidem.

ex *pantherarum caprearumve* pellibus confectum gerant; atqve ubi gregarii *vulpina*, optimates de *lutra meleve* membrana pubem velent. Neqve enim ipſe *Hercules*, tot gentium invictus domitor,& jam Diis aſcitus,cum terras peragraret, una pelle veſtitior, neqve uno baculo comitatior fuit. Cadente pluvia coriaceo, ſtricteqve aptato vertici, pileolo, in apiculum erecto, utrinqve aures veſtiente ſegmento, caput obtegunt. Collo ſacculum (qvo telorum cuſpides plerumqve condunt, aliâs *tabaco* implent) ſuſpendunt. Brachia pone cubitos ex *elephantino* dente armillis ornant, qveis ſuas peras ſæpius alligant, cætera nudi; niſi qvod aliqvi qvandoqve ex ſiccatis *bovini* corii plantas tegant ſoleis, qvas urgente neceſſitate coctas aſſatasve comedunt, ac renovant per damna famem. Femi-

Femininus vero veſtitus conſtat ex pelliceis *ovium* ſcilicet, cum *amiculo*, tum *ſipparo*, qvo verecundas in publico, ſollicite magis qvam viri aperiunt partes feminæ; qvæ conſimili *mitra* comam continuo cingunt. Arefactis ex viminibus *orbiculis* (qvos aliqvi exſiccata pecorum exta, alii membranaceas, ex *boum* recenti corio rotunde convolutas, anſas putant) ſibi arcte ſuper impoſitis, caligarum loco pedes muniunt, raro calceatæ.

Communia ornamenta ſunt vel capitis, vel qvod uti nos villoſos tondemus canes, in plenilunares, ſemilunares, ſtellares &c. figuras radunt; frontalibus *corallia*, ſerratas *conchulas*, *nummos æneos*, connodulatos *vaccarum* &c. pilos &c. appendunt. Omnes fere, niſi pauperrimi, diverſis ex *corallinis*, *vitreis*, *æneisve* globulis colla circumdant monilibus;

nilibus; qvæ cum *Illustrisſ. Societate* opimo commutant pecore. Cubitos *elephantinis*, carpos *cupreis* plerumqve brachialibus ornant.

CAP. XII.

De Ædificiis.

[β] Krallen vocant.
[γ] Justin. loco citato.

PRæter parva [β] *tuguriola*, [γ] nec domus illis ulla, nec tectum aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. *Casulæ* hæ unica patent antica, earumqve *tectum culmen*-ve & *parietes* ex foliis caulibusq; *Africani Gladioli* (cujus [δ] *bulbos* panis loco manducant) tam solide contexta sunt, ut a pluvia aliisqve aeris injuriis protegant incolentes. *Columina, imbrices, scandulaq́* ex arborum ramusculis fabrefacta; *vestibulum* arcuatum, inflexum est. In pavimentum

[δ] Hottentots broot appellant nostrates.

tum qvisqve cavernam effodit, cui, tanqvam *lectulo*, *ovillam* insternit pellem maritus, simili involvendus, ita ut vel caput pedesve vel manus extra eandem non animadvertas, servans, qvem naturaliter fœtus in utero situm; femina ad conjugis antri limbum altius dormit. Angustissima hæc *casula* qvindecim, qvandoqve plures, hospites capit. Hæcce *mapalia* in collibus campisve, vel fluminum ripis inter arbusta collocant, atqve in orbem disponunt qvinos vel senos distantia invicem passus; atqve ita armenta, his inclusa septis, a ferarum potius qvam hostium invasione defendunt: ubi vero *Præfecti* in alia commigrandi loca indicant, subjectos magnis ignium incendiis commonefaciunt; solæ feminæ totum peculium, omniaq; utensilia (qvæ alias in coriaceum in-

jecta ſaccum ipſæmet humeris comportant) colligunt, & cum gurguſtio geſtatoriis imponunt *bobus*, belligeras in seqventibus copias viris.

CAP. XIII.

De Supellectili.

SI qvis in ſupellectilis partes inqvirat, antiqva opus eſt mente revolvat ſecula; ubi [ε] *Thebanum Cratem* populo rem familiarem donasſe, & ſolitudinem delegisſe, arbores plurimas & frugiferas præ uno baculo ſprevisſe, ac villas ornatisſimas una perula mutasſe comperiet. Sola qvippe pera & baculus olim *Cynicæ*, nunc *Hottentottonicæ* geſtamina familiæ ſunt; qvæ olim *Diogeni* & *Antiſtheni*, ea nunc *Hottentottis*, idem qvod Imperatoribus paludamentum, qvod Regibus diadema, qvod Pontificibus

[ε] Vide Apulejum in apol. pro ſe ipſo.

ficibus galerum, qvod lituus auguribus, sunt. Neqve in hoc *Diogeni*, cum magno *Macedonum Rege* de regni veritate certabundo, *baculoq́;* sceptri, & *vasculo* solii vice glorianti, cedunt, semper sua sorte contenti. Utuntur tamen nonnunqvam *poculis*, ex collectis in litore *conchyliis*, vel ex comestarum prius *testudinum* (qvas *Sirigoos* vocitant, & in cineribus tostas edunt, ac pro *tabaci* frustulo peregrinis divendunt) operimentis: qvibus si careant, cavata manu cum *Cynico* aqvam hauriunt. Cibum qvandoqve rejecta in testa, alias sub cineribus apparant, secus cruda vorantes. Attamen peculio ditiores exqvisitas ex argilla *ollas*, coqvinæ destinatas, alii ex arborum truncis cibarios *alveolos* oblongos conficiunt.

CAP.

CAP. XIV.

De Indole.

ENimvero nativa barbaries & otioſa ſolitudo illorum animis voluptatum omnium ac vitiorum genera miſerabilis virtutum inſcitia ſubjicit: [ζ] levitate qvippe, & inconſtantia, mendaciis, fraudibus, perfidia ac infamibus omnis libidinis curis turpisſime exercentur, neqvisſime ſangvinarii; nec enim imbelles ſatis eſt proſtrasſe, dum trucidatis multis etiamnum inſultant telis & baculorum ictibus; ita durisſima indole omnem eluctati humanitatem, in majorum feritate perſeverant, furto deditisſimi: alter enim alterius fraudulenter ſæpe ditatur pecore. Humaniores & mage caſti fuerint *Africani* illi, qvi tibi triumfale nomen impoſuêre,

[ζ] Uti Hornius in Arca Moſis de Africanis teſtatur.

fuêre, *Africane Scipio*! magnum urbanitatis & caftimoniæ exemplar! Præter flagitiofi luxus veternum luxuriofam fibi cudunt inertiam: qvippe [η]agrum non exercent, nihil ferentes, nihil metentes, [θ] nunqvam folliciti qvid efuri vel bibituri? Aft naturæ vi fuis fordibus addicti jacent. Qvare, fi qvis eorum famulitio uti velit, efurientes, nunqvam faturos, mandare debet, nihil promittens, qvod impofterum non præftet. Unde præmatura fenectus libidinofa, & utplurimum enervia corpora occupat. Verum cum negligentisfimi, vel potius nulli, in obfervanda ætate fint, de diuturnitate vitæ nil certi ftatui poterit: qvicqvid enim effrænis illis demit luxuries, coacta reftaurat ex egeftate temperantia, vegetabilium pabulo alitis. Namqve num qvidam ultra feculum fuper-

[η] Juft. de iisdem ibidem.

[θ] Ut volucres cœli, Matth. 6.

ſuperſtites ſint? dubitant noſtrates. Atqve hinccine antiqvos vixiſſe diu? hallucinantur [ı] aliqvi. Hi porro *tabacum* ab ungviculis (nam octimeſtribus minores infantulos fumantes ſæpe numero videre eſt,) adeo enormiter appetunt, ut, ubi legibus ſervitioqve ſoluti degunt perpetuo, ſervire tamen malint, qvam *tabaco* egere, toto ſæpe die pro exigua *Nicotianæ* herbæ portione ad nutum heri famulantes, prodigi ac inſatiabiles helluones. Feminæ autem & parcius vivere, nec *bubulam*, nec *lac dulce*, *ovillam* qvandoqve guſtare coguntur: hæ enim adeo deſpectui illis ſunt. Sed illorum ingenioſa gula eſt; qvippe boni malive memoria mirabiliter pollent impavidæ ad periculum mentes, ſuiqve ſecuræ, atqve facto contentæ ſuo; etjamſi extrema pauperie premantur, vel fertiliori grege

[ı] Ut Beverovicius in theſaur. ſanit. &c. aliiqve.

grege abundent, femper iidem. Si tamen notorum aliqvis vivat egenus, levi qvadam commiferationis fpecie tanguntur (atqve hæc inter tot enormia vitia corufcat virtus) *ovemq́* & *vitulum* pecoribus orbato impertiunt. In alias tranfire fententias, qveis femel imbuti videntur, difficillimi. [x] Aurum & argentum non perinde ac reliqvi mortales, appetunt; qvippe ibidem divitiarum cupido, ubi & ufus. Imo in his plus fæpe proficit vitiorum ignoratio, qvam in aliis virtutis cognitio. Atqve ita fub molliori cœlo immania posfe esfe ingenia, patet.

[x] Juft. de Scythis.

Inter hoc fævum corruptumqve genus pleriqve vafra fubtilitate pollent: Sic tribus *Hottentotticis* locutus fum feminis, alteri *Ævæ*, qvæ urbana, cafta, eloqvens, *Belgicam* ac *Lufitanicam* fatis accurate callens lingvam,

pluri-

plurima gentis hujus myſteria mihi aperiebat; alteri *Corneliæ*, impiam cultus ignorantiam Chriſtianismo mutavit, noſtrati qvodam nupta *chirurgo*, culpandam agit vitam, ſæpius exul; tertiæ [λ] *Saræ* nomen fuit, qvæ deſperabunda laqveo vitam finivit; qvod qvidam ex noſtratibus ganeo, ut laſciviæ liberius indulgeret, connubiale vinculum pollicitatus, promisſis cecidisſet.

[λ] De qva ſup: qvam amicus chirurgus diſſecuerat.

CAP. XV.

De Moribus.

[μ] EXleges hi *Barbari* & cacoëtici *Ethnici* hæc tantum, in qvæ cœcus naturæ impetus eos unice impellit, imitantur: eundem in ſedendo, qvem matrum uteris incluſi fœtus, modum tenent, in genua caput, ulnis complexum, incurvantes.

[μ] Degeneres humani ritus inqvit de Atlantibus Plin. l. 5. c. 8.

vantes. Muliebris sexus contemtui illis est. Mortuos triduano ejulatu deplorant, maribus feminisq; defuncti casulam circumsedentibus. Cadaver effossa inhumant caverna, & lapide tegunt. Singulis libidinibus deditis; a posteriori placet Venus; femina viro altius collocata in latus, marito cubiculari incubante antro: sicqve bestiarum more in mutuos ruunt amplexus.

CAP. XVI.

De Modo vivendi.

Natura qvamvis ingluviem, desidiosa tamen egestas temperantiã edocet. Nunqvam enim dubia illis mensa est; sed erutorum [ν] paludibus tumulisve [ξ] *gladiorum* (ex qvorum foliis tecta casarum fabrefecere)

[ν] Sunt enim, præter indefinitas species, vel terrestres vel aqvatici.

[ξ] Qvorum varias species delineavi alibi.

[o] Belgicum vulgus vocat Hottentots broot.

fecere) [o] *bulbis*, loco *panis*, utuntur, feminarum induſtria effoſſis (illæ enim viris pabulum conqvirunt; hi ligella ſervant, & armenta ſecus bello inſervientes) niſi ſingularem matrimonii, puerperii &c. offerat fortuna caſum, tunc *bovem* vel ſaltem *ovem* mactantibus, inſtituendo ex amicis convivio, ni ſe præda cujusdam feræ dederit. Præterea multiformium [ϖ] *ſedorum* folia conſumunt. *Vaccarum oviumq;* paſcuntur *lacte*; qvod feminæ ſtatutis auroræ crepuſculisqve momentis emulgent, & elega[illegible]i artificio in *butyrum* redigunt. *Avem* namqve pelle exuunt, eamqve invertunt, ut plumæ interna ſpectent, hanc fiſtuloſo applicant bacillo, atqve ita con cutiunt, ut in *butyroſam* ac [illegible] ſam ſubſtantiam *lac* ſecernatur: illa caput illinunt; hanc potant, *Caſeum* tamen conficere neſciunt,

[ϖ] Juxta Batavos wilde of Caepſe vygen.

unt, neqve illo gaudent. Potus præter aqvam aqvæ & lactis nullus est; nullosqve nisi sqvammosos manducant pisces, non angvillas, non rajas &c. nec qvicqvid conchis nascitur ostreisve. Verum dulcissima qvædam [ρ] *Bramæ* species est sqvammosa, qvâ impense delectantur. *Tabacum* infantes æqve ac senes, feminæ ac mares, in maximis deliciis habent, ita ut qvamvis suis invidiosi, fumantem tamen fistulam sociis per vices distribuant. Crescit in his oris [σ] *Ari Africani radix*, tanta pollens acrimonia, ut lingvam non modo adurat, sed & acerrime lancinet, venenis merito accensenda. Hanc *Hottentotti* coqvendo mitigant (igne nocivum expellente *sulfur*, volatilem simul & acrem ligante *salem*) ut esui apta sit hæc *radix*, [τ] *erinaceorum* (qvi hic miræ effigiei sunt,) dapes.

[ρ] Nostrates vocant Hottentotsvis.

[σ] Alibi a me delineati.

[τ] Qvorum figuras alibi qvoqve dedi.

Non-edulibus, veluti aretactis & pulverulentis *pellibus* (qveis pro calce s ſæpe diu fuere uſi) qvin & *excrementis*, modo non ſolis, veſcuntur incompoſiti omnes ad unum, etiam non excluſo *Rege*, viliſſima mendicabula, ut ſinguli ferè *Nigritæ* ſunt.

CAP. XVII.

De Modo Bellandi.

NIhil eſt hac plaga infeſtius, ubi tempeſtatibus atrox cœlum, ſaxeiqve montes incolarum ingeniis congenera ſunt; unde aſperæ & in flagitia aſtutæ mentes cum molli noſtratium indole haud conveniunt, bellum leviſſima de cauſſa ſuſcipientes. *Arma* illis ſunt præter coriaceam *lacernam* (qva clypei loco utuntur) *arcus* & *tela*: Hæc vel [v] *projectoria*, qveis adeo accurate ad ſcopum collineare

[v] vulgo Aſſagayen.

neare iciunt, ut ad qvadraginta passuum distantiam, propositum offendant punctum, qvosqve prono jaciunt brachio; vel *jaculatoria*, qvibus bipennibus magno nisu ad artem vibratis, hostes transverberant. Ea plerumqve impuro veneno hunc in modum inficiunt: viperam aliudve infestum genus serpentum, irritant, iratæ bestiolæ osculo teli cuspide iterato infigunt, ligata, ne excidat telum, irata, ut toxici vim exasperent, colla præscindunt: qvippe ex maxillaribus vesicis viperæ eructant virus (qvod etsi innocue qveat deglutiri, vulnerata mortificat) nostratibus crebro lethale: qvo si illorum qvisqvam percutiatur, affectum locum baculo feriunt diu (& hoc præsentissimum veneno infectis hic remedium est) & fortiter [φ] sugunt. Nostrates acuta eorum stratagemata sæpius

[φ] vide infra.

pius ſuo damno experti ſunt. A [χ] Leonibus, hic admodum freqventibus, edocti, ut nimboſa tempeſtate, qvæ noſtra ſtlopeta corumpit, vires animumqve minuit; dum illi ſcelera inſidiis mandant, ſe ſenticetis, lentisqve condentes arbuſtis, ex qvibus tela promunt; ac hoſtes inſeqvuntur; ſicqve ſuperfuſo imbre felici⁹, qvam armis pugnant: verum in campeſtriis, cœlo ſereno pluries [ψ] clamore ſublato fugam petunt, dilabentes in proximas ſilvas tumulosve *paliuræos*, qværendi ut vincantur feri & ſilveſtres homines; ſagittis formidabiles. Aſt ſi ingens eorum copia exiguum e noſtratibus manipulum obruat, invicta rabie & impetu, qvem pro virtute *Barbari* habent, qvibus horrendum jungunt boatum, hoſtes invadunt. Attamen noſtratjum ſtlopeta proximare vix auſi; qvamvis

[χ] qvos Gamma vocant.

[ψ] ut de Balearicis Barbaris Florus lib. 3. c. 8.

qvamvis inter se belligerantes presſisſime ſemet appropinqvent. Itaqve qvod de Inſubribus *Gallis* [ω] *Florus* reliqvit præconium, *Hottentottis* ad amusſim competit. His animi ferarum (*Annæi* verba ſunt) corpora plus qvam humana ſunt, ſed experimento deprehenſum eſt, qvippe, ſicut primus impetus eorum major qvam virorum eſt, ita ſeqvens minor qvam feminarum. Montana corpora inter humentes educata nubes habent qviddam ſimile cum nivibus ſuis; qvæ mox caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt, & levi motu, qvaſi ſole, laxantur. Cæterum præduri cautes & horridæ (α) ſilvæ cum genuina eorum feritate conſentiunt. Ut plurimum etjam circa montes pendent *Hottentotti*, noctu æqve ac interdiu ſingula explorantes. *Præfectos militum* noſtro more *Capitaneos* appel-

[ω] lib. 2 cap. 4. de bello Gallico.

[α] ut de trucibus Thracibus idem lib. 3. cap. 4.

D 3

appellant, qvi qvod ad veſtitum, ab aliis ſolo nitore colobii, armis parum (niſi qvod *gregarii* milites nodulatum in apice, *præfecti* ſine nodo baculum gladiorum vice, geſtent) mandato & ſtipatorum numero plurimum diſcrepant, ſemper enim qvinqve ſex pluresve ex ſenibus ſatellites comites habent *Capitanei.* Qviritum more, qvi conſilia ſenibus, juvenibus arma addicebant. *Amplisſimæ Societatis* hoſtis unicus nunc eſt *Honnema* cum ſuis: a qvo paullo ante noſtrum adventum, jusſu *Gubernatoris* plus qvam mille *boum vaccarumqve* præter *ovium* &c. prædam nacti ſunt noſtrates, qvi inde animum cepere, brevi forſan in eosdem mittendi. Bini namqve auxiliarium præfecti *Cap. Claes* & *Cap. Cuyper*, in hunc finem copias, noſtris jungendas, congregabant. Hunc belli ritum tenent: Feminæ

minæ *legatorum* vices obeunt, qvæ si capiantur, absqve ullo pretio redimuntur.

CAP. XVIII.

De Modo negotiandi.

CUm eorum omnes in armentis divitiæ constent, nullum, nisi de pecore cum hisce *Barbaris* commercium exercemus, idqve hoc pacto. Mercaturæ peritum, qvandoq; plures cum aliqvot militibus ad eos delegat *Gubernator* nostras cum *tabaci*, vel [β] *Virginiani*, sed admodum parce (nam hunc non nisi dono petunt) vel *nigri* ac *vilioris* (qvem præstantiorem censent) *coralliorum*, ex *vitro* vel *ære* conflatorum copia, additis qvibusdam *adusti potus* amphoris: (pleriqve enim οἰνόφιλοι sunt) his itaqve mercibus, *boves*, *vaccas* & *oves*, aliqvando *pantherarum*

[β] Boubaes toebak illis dicti.

&c. pelles ita commutant. *Primo* magnam *tabaci* portionem, duas plerumqve ſpithamas longam, pro permutando *bove* vel *ove* exporrigunt, ſemper qvoddam addentes [γ] fruſtillum (ſecus ſe non obligari tenere contractum ex conſvetudine cenſent) & ſæpe *aduſti vini* portiunculam expoſcunt. *Tum* pedetentim diminuenda *Nicotianæ* herbæ portio eſt ad ſummum qvadruplo. In primo adventu, præſertim ad potentisſimos *Eſeqvas* (ad qvos qvotannis ſemel tantum emittit ſuos *Gubernator*, ut ex tanta temporis procraſtinatione eo avidius *tabacum* &c. expetant: Tumqve noſtratibus e longinqvo obviam eunt *mercatoribus*, [δ] opimum conferentes *vervecem*) aliqva dictæ plantæ donatio fieri debet, qvam talis *vervecis* munere compenſant: hacqve una vice centum ducentosvę

[γ] Kortom nuncupant.

[δ] Etom ſchaep dicunt.

tosve, præter oves, boves mutare possunt nostrates. Sed cavendum, ne illi mercimonii copiam conspiciant, inde qvandoqve necis periculum nostris immineret; uti ab *Esseqvas* Regis fratre edocti fuere, qvi, ni ipse senex Rex (cujus filius impræsentiarũ regno potitus, patrem in amore nostri æmulatur) id impedivisset, omnes lucri caussa interfecisset. Singuli album nunqvam comutabunt bovem, vaccamve (qvem forsan ab Ægyptiis, qvi sub imagine candidæ vaccæ Isidem coluere, in eadem orbis parte cum hisce viventibus hausere ritum) qvi illis inæstimabilis dux gregis est. Qvin summum illorum votum est; ut *Magnus Capitaneus* (*Deum* indigitant) album ipsis impertiatur bovem.

Solitæ, qvas hi Mercuriales viatores absolvunt, stationes ab

[ε] de ruyterwacht. [ζ] de kuylen. [η] Hottentots Holland. [θ] Kaffenhuls rivier. [ι] Knoflochs krallen. [κ] Botter rivier. [λ] Rivier ſonder eynde. [μ] Jacob Ragens boom. [ν] de ganſe krallen. [ξ] brede rivier. [ο] Mosſelbaey.

Arce ſunt 1. ad [ε] *Eqvitum excubias*, ultra qvas nullus noſtratium fundus eſt. 2. ad [ζ] *Antra*: abhinc ad primum in [η] *Hottentottica Hollandia*, qvæ ſub *Auguſtisſimæ Societatis* ditione eſt ultima, fluvium. 3. Trans *altum* in eadem *montem*. 4. ad [θ] *Flumen obſcœnum*. 5. ad [ι] *Tuguria alliaria*. 6. ad [κ] *Flumen butyroſum*. 7. ad [λ] *Fluvium ἀτελεύτητον*. 8. Sextidui itinere ab *Arce* ad [μ] *Jacobi Ragens arborem*. 9. ad [ν] *caſas anſerinas*. 10. ad [ξ] *flumen latum*. 11. ad *paradiſum*, locum propter amœnitatem ita appellatum: ubi ex argillaceæ terræ, aqvas inqvinantis, copia magna boni laticis inopia eſt. 12. Ultimo deniqve ad [ο] *conſcharum ſinum*, qvi CXXXVI. circiter leucis a *Propugnaculo* diſtat.

CAP.

CAP. XIX.

De Modo ſaltandi.

TRipudiis, qvæ miris geſticulationibus exercent, ſummopere gaudere videntur: cum, ſi vel minimus in illis relligionis ſenſus ſit, illam ſaltationis ritu maxime peragant. Qvamprimum enim luna exſurgit, undiqve concurrunt. Mares prono corpore pedibus fortiter pulſant humum, uniſono, ſed vel remisſione vel intentione, ejulatu boantes, vultu ſemper æqve gravi; ubi feminæ circumſedentes manibus plaudunt canentes. Qvod ſi forte in noſtratium ædibus *ſpeculum* offendant, ridiculo gargaliſmo animum titillant, propria cum *Narciſſo* delectati forma, mimicis geſtibus in effuſos disſolvuntur ſaltus, ut ſæpe defesſi proſternantur;

tur;

tur; ſicuti ſæpius ab *Hottentotto* juvene, in noſtro hoſpitio famulante, conſpexi.

CAP. XX.

De Relligione.

[π] Roman, cap. 2.

B*Arbara* licet & plane brutalis hæc *natio*, ut inter eas [π] gentes, qvæ legem etiamſi non habeant, naturæ qvæ legis ſunt, faciunt, recenſeri non posſit exlex. Attamen *ſummi* cujusdam *Entis* vel leviculam cognitionem habere videtur, ſæpe de *ſupremo* qvodam *Capitaneo* memorans: ubi enim corrugat aeris frontem ſpisſius cœlum, ut tonitrua mugiant, vel frendentia rutilent fulmina, fulgurave præmicent, inqviunt illi, *ſummus* ille iratus eſt *Capitaneus*. Tum ubi qvis ex illorum amicis in bellis a noſtris conficitur, atqve ſuperſtitum aliqvis ejusdem ne-

cis intentatur minis, hæc corrupto *Belgicismo* effatur: Dat is doet: Was makom? Duytsman altyt kallom! Icke Hottentots doot makom: Mashy doot, Icke ſtrack nae onſe grote Kapiteyn toe, die man my ſoon witte Boeba geme. Qvæ ita verbotenus donantur latio; *Age! qvid facitis? Belgæ ſemper ajunt; Ego interficiam Hottentottos; Eja occidite! Ego ſi moriar, ſtatim ad ſummum noſtrum Capitaneum proficiſcar. Vir ille memet albis donabit bobus.* Hi qvippe ſacra armentorum ornamenta illis habentur: ubi vero ſerenus micat æther, dicunt: Bravas com Kapiteyn, die Kapiteyn ons van witte boeba geme; h.e. *Optim9 eſt ille Capitaneus, albis qvi nos impertiet bobus.* Sed hæc fortuito pronunciant rogati. Aſt ordinarius eorum cultus cum omnibus fere antiqvis gentilibus, qvarum primi in ea ſententia

tentia

tentia fuere *Ægyptii*, in hoc convenire videntur; ut [ϱ] *Solem* & *Lunam* pro *Diis* suis habeant. *Soli* hunc cultum deferunt: [σ] illum orientem occidentemqve dira imprecatione contuentur; qvandoqve ad fluvium considunt ex proxima argilla totos glomulorum cumulos conficientes, qvos magno cum strepitu in aqvam projectant, idqve, ut illi prætexunt, in *Solis* honorem. *Lunam* vero, ut dictum saltando venerantur.

[ϱ] videtur Plato in Cratylo &c.

[σ] ut Plinius lib. 5. cap. 8. de Atlantibus.

CAP. XXI.

De Magistratu.

Qvilibet casularum *viculus* suum *Præfectum*, & ille plerumqve superiorem, qvos uno nomine *Capitaneos* vocant, agnoscunt. *Esseqvas* tamen, sed soli, *Regem* habent. Juxta horum magnatum placita gubernantur omnia;

omnia; ita ut ſubjecti nil magni ſuopte præſtare auſint, ad nutum *Capitanei* ſemper paratisſimi. Migrandum cum eſt, a *Præfectis* monentur; inire matrimonium cum volunt, a *Capitaneo* libertatem petere coguntur, ſumma cum obſervatione dicto ejus obedientes.

CAP. XXII.

De Jure gentium.

QVamvis non *Numinis* neve pudoris vinculis adſtricti ſua ſe lege exſolvant, [r] ſibi ipſis ſæpe ſunt lex, ea qvæ facere majores, cœco impulſu, conſvetudine magiſtra, imitantes. Ita ſi gemellos pariat mater, maſculum & femellam, hanc jure gentis occidunt in cunis. In eo fere tantum a *Scythis* disſimiles, qvod hi in *Amazonum* regno mares interfecerint; disſimi-

[r] Roman. eod. cap.

ſimiles in eo priſcis in *Africæ* [v] *Carthaginenſibus*, qvi vivos præſertim pueros, & innoxiam ætatem *Saturno* ſacrificabant. Omnes vero qvotqvot naſcuntur maſculi alterutro caſtrantur ſtatim a nativitate teſticulo: ne in frugifera terra, plures, qvam alere posſit, incolas recipiat; atqve ut illi addunt, qvo tanto velocius posſint currere. Uxoribus, qvot habuere viros, tot digitorum articuli a primo minimi digiti incipiendo abſcinduntur, Polygamiæ, *Muhammedanorū* more, indulgent. [v] Induſtria gentis hujus ingeniis culta, non legibus. Sola vindicta illis eſt homicidii pœna; ubi trucidati cujuscunqve conſangvinei percuſſorem perſeqvuntur; neqve qvieſcunt, niſi ultionem fecerint; repertumqve itaqve fuſtibus cædunt, telisve transverberant, occiſum multis etiamnum ictibus ferientes,

[v] ut de Scythis Juſtin.

tes. Cætera, sive adulterium, sive furtum, vitia non nisi talionis lege puniunt. Deniqve id sibi peculiare habent: si juvenis inter eos ægrotat, pingvem mactant bovem, futuri delicias convii, atqve, qvæ maxime opima sunt, exta cum omento ægrotantis collo appendunt, usqvedum putrefacta decidunt, qvæ senex qvisqvam devorare debet. In succesfionibus hæreditarium jus apud eos, præsertim apud *Esseqvas*, valet.

CAP. XXIII.

De Matrimonio.

Conjugium inire volentes suos *parentes* sollicitant, illi *Præfectos*, ut sibi integrum sit, ducere virginem; etsi nunqvam, nisi bajulum, ad minimum unum, *bovem*, transportando cum suppellectili tugu-

rio, unam alteramve lactariam *vaccam*, emulgendo *lacti*, *ovesq́*, decem vel duodecim, celebrandis ſponſalibus repotiisve &c. posſideant. Qvi vero locupletiores, *Turcarum* ritu, polygamiam exercent: atqve iis ſi connubium non arriſerit, nubtam repudiant, faciuntqve divortium. Nubtiarum ſolennia hæc ſunt; *Bovem*, binasve tresve, qvandoqve plures, jugulant *oves*, carnem excoriatam & tantillum aeri expoſitam cum propria pecudis adipe in dictis ollis excoqvunt, inteſtina ſub cineribus asſant, atqve apparatis epulis necesſarios invitant, & apponunt hæc bellaria, ſuo ſe oblectantes more.

CAP. XXIV.

De liberorum educatione.

IN puerperis facilis laboris naturalia vincula dextre ſatis ligare

gare ac ſolvere norunt; ubi vero difficilis partus forte ingruit, adhibent qvandam mirandæ efficaciæ *plantam*, fœtum commode expellentem; qvam nullo pretio ab illis ſive per me ſive per alios, redimere potui: id enim communicare lege prohibitum eſſe, regerebant. Puerperæ non diu latent; liberos ſine ordine & inconcinne admodum educant barbaræ matres; poſtqvam per duas aut tres hebdomadas in mapalibus retinuerint eosdē, nullis unqvam faſciis involutos, dorſo appendunt ſuo; qvadrimeſtribus paullo majores fumare *petum*, octimeſtres pedibus incedere, colobio tunc donandos, mihi ratum fecit qvinqvennis hujus regionis hoſpes; octennes novennesqve tractare arma, arcum etjam & tela; ubi parentes cibum ſæpius eminus collocant, ad qvem toties colli-

neare debent, donec eundem inveniant, famem tamdiu perferre coacti.

CAP. XXV.

De Artificiis.

QVot in hara gemmas, tot in hoc degenere populo reperias artes. Cum tamen acu conſutas geſtent pelles, non tamen ἄτεχνοι ſint oportet; *acus* ex ferro (fodinas qvippe habent, ubi ego hariolor, locupletisſimas) vel ebore, beſtiarum nervis pro *filamentis* utuntur. Tum qvoniam capillos acutis artificioſe radunt *cultris*; ut præter *ſartoriam* & *tonſoriam* qvoqve calleant [φ] *ferrariam* artem. Inde φιλαυτίας qvadam prurigine laceſſiti ſibi placent, rudes eqvidem & expertes artium, niſi ſordidarum. Ita ex eorum *Capitaneis* qvisqvam *horologium* contem-

[φ] uti Americani ex æruginoſo ferro cultros acumine noſtris præferendos conficiunt.

templatus, & a possessore intelligens ejus usum, ajebat: qvidni & *Hottentotti* simile conficerent? qvidam *instrumentum musicum*, effigie & usu *fistulæ* fabricant, eodemqve ludunt. Sunt etiam qvi *Leucanthropian* somniant. Hinc qvoqve fistula canendo pisces aucupari ominantur.

CAP. XXVI.

De Ratione faciendi medicinam.

SI a *brutis* multos curandi modos didicerit humanum genus; [χ] A *canibus* ἐμετήρια; ab [ψ] *ibide, Ægyptia* volucri, *clysmata*; ab [ω] *hippopotamo* (in his sat freqvens locis) *phlebotomiam*; [α] a *capris dictamni*; [β] ab *hirundinibus chelidoniæ*; ab *angvibus feniculi*; a [γ] *bufonibus* angustifoliæ *plantaginis*; a *mustela rutæ*; a *ciconia origani*; ab *apris hederæ*; a *cervis*

[χ] teste Plinio.
[ψ] Plutarch. de Brutorum solertia.
[ω] Cicer. lib. 2. de nat. Deor.
[α] testimonio ejusdem qvi tamen capras Cretenses recenset.
[β] Ælian. l. 4. c. 49.
[γ] Helmont. de pestis xenexto.

[δ] Plutarch. in dial. brut.

[ε] vide Homerum.

[ζ] in Proœm. l. 1.

Plin. h.n.l. 31. c. 9. p. 562. l. 16.

cervis cinaræ præstantiam; [δ] ὅτι ἀληθής ἐστι, τούτων διδάσκαλον εἶ-ἶδαι τὴν φύσιν. Qvid itaqve mirum, si & hæ gentes tametsi brutales, qvandam medendi rationem habeant? qvæ veluti in [ε] *Troja-no* bello *Podalirius* atqve *Macha-on*, non tam in pestilentia, om-busve morborum generibus au-xilium adferunt, vulneribus præsertim mederi soliti [ζ] *Celsi* verba sunt. *Suctio* & *inunctio* remedia *Hottentottorum* primaria, qvin universalia sunt, *bestiarum telorumq; venena* tantum formidantium: qvibus si iciantur, læsam partem tamdiu *bacillo tundunt*, donec sensu privetur; tum *scarificant*, atqve ita vehementer *sugunt*, ut sangvinem pene cutis seqvatur. Hic tamen curandi modus (qvem ad *efficacem* suam *chirurgiam* referat *Severinus*) pro *veneni* diversitate cum *pulsationis* diuturnitate, tum *suctionis* efficacia

cia differt: qvippe *Scorpio* non tam alta, qvæ qvidem *millepeda*, toxici veſtigia relinqvit; ille etenim his in locis (η) non ita venenatus eſt. Si ejus cauda paullo [illegible]ra ſpiculum fortius compri[illegible]r, limpidiſſimam guttulam [illegible]co ſenſim emittit aculeo, [illegible] forte paullo ante ferierit, noſtratibus apibus paullo nocentior, ac veneni vim tardius recuperans, qvo ſi qvis percutiatur, putat ſe lapide tangi. *Millepeda* vero cauſtica ferocia *virus* imprimit. De *viperis* diximus (θ) ſupra. Si *malè moris* ſit *vulnus*, leviſſimæ etjam *gangrenæ* indicium *acutis telorum cuſpidibus reſecant*, & ſi late ſerpſerit, *infectum* omne *tollunt*. *Contuſionibus* omnibus *illinendo* (*ovilla* vel *bovina adipe*, nec enim aliud *ungventi* genus noverunt) tum *ſcarificando*, tandem fortiſſime *ſugendo*, ut *cruor* cum *cute* ſolvatur, medentur.

(η) longe minus qvam in Hiſpania, Italia vel Gallia.

(θ) de modo bellandi.

tur. *Arthritin* eadem methodo tollunt, nisi qvod inunctum *adipe* partem *igni* obtendant, ut, si subopimæ partes sint, *pingvedinem asſando*, extorqveant, ilico *ſuctioni* incumbentes. Præter ea paucissima cognoscunt ex vegetabilium claſse *medicamina*, sed *electa*; qvæ ut jam memini, nullo ab ipsis pretio redimere potui. Qvapropter falluntur & fallunt, qvi se a mendacibus, & qvæ norunt, corde prementibus *Hottentottis* multa intellexisse jactant. *Colicam aromatica* qvadam *radice* confestim curant. Subigunt & *Daturæ* qvandam speciem, ut opinor, *Dacha* vocant illi, qvam accurate pinsunt, pistam, conglobatam & exsiccatam comedunt (ut pleriqve *Muhamedanorum Amfion* sive *opium*) eoqve enormiter inebriantur. Recens natorum infantium *umbilicalia vaſa* presſius ligant, non rese-

reſecant, tandem ſponte deci-dentia. Singula hæc a qvadam *Hottentottica* accepi, ab aliis præter ea nihil reſcire potens.

CAP. XXVII.

De Lingva eorundem.

SI qvis eos loqventes auſcultet, reviviſcere *Pythagoræ* ævum dixerit, in qvo aves mutuo ſermonis conſortio polluiſſe fingebantur. Qvippe revera (i) *ſtridor* non *vox* eſt, ſi *Hottentottorum* expresſionem expendas: nam qvodvis vocabulum ſtridulo lingvæ (ſonoro applicita palato) clangore finitur. Hinc haud perperam qvis opinetur, hanc lingvæ ad palatum crepitationem vocalium vim exprimere, cæteras autem vocum copulas ex alto pectore producunt, pleraqve orbicularis labiis pronunciantes. Adeò ut cum aliis genti-

(i) Jul. de Atlantibus, Plin. ibidem.

gentibus omni orationis commercio careant; neqve ex tanto temporis intervallo e nostratibus repertus sit aliqvis, qvi perfecte cum ipsis colloqvi potuerit: nisi illi, qvi dudum prope *fortalitium* vitam transegere, nostratibus se accommodent, plurima *Belgica* vocabula, sola terminatione diversa callentes. Omnia ferme finiunt in *Kom*, ut *tabaqkom*, tabacum, *kortom*, portiuncula, *horom*, audire &c. Qvæ vero ipsis vernaculæ sunt in radicibus non permultæ, in epithetis locupletiores sunt voces: ita omnes qvotqvot sunt aves *Courcour* appellant; addendo V.G. *Camma Courcour*, avis aqvatica, sive sit *anas*, sive *mergus*, sive *gavia*, &c. *Sickom* (corruptus *Belgicismus*, qvi ipsis familiarissimus) *courcour*, avis fœtus; *Grotom* (eadem corruptio) *courcour*, magna avis, qva tamen ordinario *struthio-*

ruthiocamelum indigitant. Qvæ-am etjam ex priſtino cum po-ulis commercio *Anglica* ſuæ ingvæ vocabula miſcent; V. G. *anem* vocant *Doggves*.

Mere *Hottentottonica*, qvæ obiter occurrunt, ſunt:

nkey, belga.
amma, leo,
cqva, eqvus.
uka, lupus.
Nabba, Rhinoceros.
oedi, oves.
Bôeba, bos vel vacca.
Debitja, juvenci.
trizoos, teſtudines.
Dacha, herba ſoporifera.
Dini, mel.

Chou, aer.
Ecy, ignis.
Kou, tonitru.
Doudou, via.
Ey, corallia ex vitro.
Ninimos, eadem ex ære.
Eqva, lignum.
Kiny, baculus belligerus.
Sou, olla.
Bouchou, plantarum cineres.

Cor-

Corrupta *Belgica* indefinita sunt.

Boe maakem goet, pulvis pyrius. *Boebasi bier*, lac. *Karos*, Colobium. *Krallen*, Casæ &c. innumera.

Numerandi vocabula.

Cui, unus. *Tem*, duo. *Nona*, tria. *Acka*, qvatuor. *Corro*, qvinqve. *Guichi*, sex. &c.

Qvæ aliorum additamentis multiplicant semper easdem, alterius copula, voces usurpantes: qvas si ab illis nostratium qvis intelligat, calamo non posse describi dixerit, adeo mirabilis eorum pronunciatio est.

Auctore

Wilhelmo ten Rhyne.

